

QK. 528, 28

B. m. II 49

Π c  
1534

SCHEDIASMATA  
BIBLIOTHECÆ  
GRÆCÆ DIFFI-  
CILIORIS

X 2316493

SEU

Notitiæ Historico- Literariæ Veterum Au-  
torum Græcorum, quorum scripta vel mutila, vel dubia, vel  
spuria, vel genuina, sed pauca & rara, ad nos pervenerunt,  
Quatuor Scriptores Græcos rariores, Pha-  
laridem, Antoninum Imp., Agapetum, & Basilium  
Imp., repræsentantia.

In

Gratiam Scholarum, Scholarumqve Mode-  
ratorum & aliorum *Φιλαρχίας*  
composita,


&

Censente Amplissimâ FCtate Philosophicâ  
in Almâ Rostochianâ,  
Luci publicæ exposita.

à

M. CAROLO ARNDIO,

Josua ARNDII Filio, Gustrov: Mecklenb.  
Rostochii Anno M. DCCII,



Typis JOHANNIS WEPPLINGII, Acad. Typogr.

19 -

9

+ 29



LECTORI CHRISTIANO, BENEVOLO,  
M. C. ARNDIUS,  
S. P. D.



Nter varia, quæ mihi à B. Parente  
meo relicta sunt, Apospalmatia  
sacra atq; profana, in calce sche-  
diasmatum præsentium apponen-  
da, oblata sunt quoque ex profa-  
nis rudimenta quædam de Phala-  
ride Tyranno aliisque, ex quibus  
sequens Discursus prolixior ena-  
tus est. Sunt equidem numerosi,  
qui scripserunt Bibliothecas &  
Catalogos antiquorum Autorum profanorum faciliores, i. e.  
Vitas, scripta, & Judicia eorum Autorum, quorum genuina  
integra, certa & uberior ad nos notitia pervenit, quos fufè  
inter alios recensent *Val. Henr. VOGLERUS* *Introd. Univ.*  
in notit. bon. script. cum addit: *Henr. Meibomij* edit. no-  
viss. de Anno 1700 in 4. Helmst. Cap IX. X. XI. XII. XIII à  
pag. 53. -73. & 192. -198. *Adrianus BAILLETUS* in *Jugement*  
*des Scavans* h. e. *Judicii Eruditorum de scriptis Autorum*  
primariis edit. A. 1685. & sq. in 8. Paris. Tom. III. & IV. *Joh. Perr.*  
*Bellorius* in *Imaginibus Veterum Illustrum philosophorum,*  
*Poëtarum, Rhetorum & Oratorum, expositio* nibus illustratis.  
Romæ 1685 in fol. apud Lips. Act. Erud. Collect. T. I. suppl. p.  
247. 348. & paucis abhinc annis, *Vir Politissimus, Joh. Alb. Fabri-*  
*tius* in opere absoluto, partim exhibito, sub tit. *Bibliotheca La-*  
*tina,* partim promisso ibidè, sub tit. *Bibliotheca Græca;* At qui  
peculiarè operâ descripserit Bibliothecas profanorum Au-  
torum difficiliores i. e. Vitas, scripta, & Judicia eorum,  
quorum mutila, spuria, dubia, & genuina rariùs ad nos per-  
venit notitia, vix aderit. Decrevimus igitur B. C. D. inire  
hanc viam, minus hæcenus calcatam, tentare gravissimum  
hunc laborem, eundemq; pro tempore & occasione orbi  
Literario per partes exponere, sed breviori omninò Metho-  
do ac specimèn præsens compositum est. Selecturi enim Au-  
tores

A

tores

tores illos Græcos & Latinos juxta secula, de quibus vel pauca genuina, vel mutila, vel dubia, vel spuria, occurrunt, e. g. Orpheum, Linum, Musæum &c. &c. Vitâ tantum eorum concisè delineabimus, scripta, ordine sed contracto, recensēbimus, Editiones exstantes elegantiores allegabimus, & Judicia Virorū Doctorū palmaria subjungemus. In sequentibus autē Schediasmatibus paulò prolixiores esse nobis placuit, quia & producti Autores, illi ex rarissimis sunt, de quibus recentiora & recentissima, eaq; illustriora, suppetunt dicendi argumenta; & quia Prodromum nunc edere constituimus arbitrarium, non opusculum ipsum legibus astrictum. Si placebunt hæc promissidaria, faciemus cum MAGNO DEO, ut plura fercula, nec diaria, sequantur. Si quidem erunt, qui conatus nostros adjuvabunt, quorum penuria etsi animum mihi erectum sæpè deprimit ac minuit, conscientiam tamen rectæ voluntatis cum DEO nunquam eripiet. Vale Benevole Lector, præsentia schediasmata boni consule, ac favere ex voto perge.

## SCHEDIASMA PRIMUM.

De

### PHALARIDE TYRANNO.

**P**halaridis Tyranni Vitam, scripta, s. Epistolas, Editiones & judicia, rarè hæctenus & strictim tantum attigerunt **SCRIPTORES** eruditi, exceptis, **ARETINO, LUBINO & BOYLEO** in suis editionibus, utpote, *Georg. Matth. Königius* in Biblioth. Vet. & Nov. tit. Phalaris pag. 628. ibique citati, *Gesperus* in Bibliothecâ hoc tit. p. 569. *Aphronius* in Progymnasm. ed. in 12. Amstel. de A. 1649. p. m. 269. *M. Fried. Hildebrandus* in notis ad officia Ciceronis ed. in 12. de A. 1669. Lipsi pag. 180. *Job. Diet. Gülichius* in *Analyf. Tabb. Schrad.* ed. 1692. in 12. pag. 164. aliq; Planiorem pleniorēq; descriptionem dabit sequens noster discursus.

S. I.

### VITA PHALARIDIS.

**P**HALARIS Cretensis in sulæ urbe Astypalæâ ortus Patrē Leodamante (Phal. Epistol. IV. & XLIX.). Tyrannidem post Thesea primus occupavit circa Olymp. LII. Agrigenti, plurimis civibus interfectus. (*Plin. Hist. Nat. Lib. 7, cap. 16*  
Svid

**PHALARIS.**  
*Vita ejus*  
*contra*

Svid. & Scalig. ad Euseb Chron.) Erythiam Uxorem & Pauro.  
 lam filium habuit. (Epist. LXIX.) Ingenio ac singulari acumi-  
 ne & solertiâ valuit, ingenuis artibus instructus, liberaliter  
 educatus atque administrandæ Reip. non imperitus. (Lucia-  
 nus Phalarid. 1. & Phalaris ipse Epist. IV. & LXXVII.) huma-  
 nitatis neutiq̃quam expertus fuit, sapientesque & literatos  
 reverenter coluit, quod ex Epistolis ad Stesichorum, Pytha-  
 goram, & Abaridem fati patet. ( vid. Epist. XXIII. LVI.  
 LXXVIII. LXXIX. &c. ) In puniendis improbis severior  
 existit, necessitate imperii coactus, quod tutus esse non  
 posset, nisi in adversantes sibi simul existeret crudelis. Cru-  
 delitatis nimia jacta in eum fuerunt opprobria ab his, qui  
 Liberæ Reip. nimio amore tenebantur, nec unum sibi præ-  
 esse ferre poterant. A multis etiam Scriptoribus & Cicerone  
 cum primis ( Lib. 2. Offic. cap. 7. & alibi passim ) execran-  
 dæ immanitatis accusatur & SICULI TYRANNI nomine  
 venit. Coctos infantes & proprios liberos ab ipso come-  
 stos esse Athenæus (Lib. IX. Deipnos: cap. XII.) & Aristoteles  
 (Lib. 7. Nicomach. cap. 5.) narrant. Denique inauditum tor-  
 menti genus, æneum taurum à Perillo inventum, qui re-  
 cluto latere cruciandos reos intra se reciperet & supposito  
 igne torreret, ita ut intus vociferantes mugitus emittere  
 viderentur, à Diodoro Siculo, (Lib. XIX.) Plinio, (Nat. Hist.  
 L. 7. c. 56.) Ovidio, (Trist. L. 3. Eleg. 1.) Valerio Maximo,  
 (Lib. 9. c. 2) & ipso Phalaride (Epist. CXXII.) memoratum,  
 ut insigne crudelitatis Exemplum, posteris transmiserit. Ty-  
 rannidem autem annis XXVIII. juxta Eusebium, juxta alios  
 annis XVI. exercuit. Interitus ipsius ab aliis diversimodè  
 narratur, verosimilior est narratio Jamblichi in Vita Pytha-  
 goræ / cap. 32. Phalarin lapidibus obrutū esse à civium conci-  
 tatâ multitudine, Pythagoræ consiliis, eodem die, quo Ty-  
 rannus Pythagoræ & Abaridi mortem destinasset. *Lege  
 prolixiorem Vitæ descriptionem in fronte Ed. nov. Boyleana.*

S. II.

SCRIPTA PHALARIDIS. cum EDITIONIBUS

**E**X Scriptis PHALARIDIS nonnisi Epistolæ quædam ad  
 Notitiam nostram pervenerunt. De quibus proinde  
 aliquid non vulgare dicendum.

*Scripta cum  
 Editionibus*

**A 3**

**De**

DE  
EPISTOLIS PHALARIDIS

Primò notandæ veniunt Editiones.

*Editiones  
Phalaridis  
Conjunctæ  
&  
Confusæ.*

**E**Ditiones Epistolarum Phalaridis duplici in classe sunt  
positæ. Prima Classis habet Editiones Conjunctas &  
Confusas, quibus scil. Epistolæ Phalaridis conjunctim &  
confuse cum aliis prodierunt; Secunda Classis habet Editi-  
ones distinctas & disjunctas, quibus scil. Epistolæ Phalari-  
dis distinctè atque disjunctim emerferunt. Inter priores  
seu Conjunctas eminent seqq.

I. *Editio* ALDINA. h. e. Editio *Aldi Manutij*. d. Anno  
1499. duobus Tomis Romæ excusa, quâ inter XXXV. Auto-  
rum Epistolas à Marco Musuro collectas, apparent Phalari-  
dis, hoc ordine: Basilii M., Libanii, Chionis, Æschin's, Isocra-  
tis, Phalaridis, Bruti, Apollonii, Juliani, Synesii, Demosthe-  
nis, Platonis, Aristotelis, Philippi, Alexandri, Hippocratis,  
Democriti, Heracliti, Diogenis, Crateris, Anacharsidis, Eu-  
ripidis, Theanis, Melissæ, Myæ, Alciphronis, Philostrati,  
Theophylacti, Achani, Æneæ, Procopii, Dionysii, Lyfidis,  
Amasidis, Musonii.

II. *Editio* JUSTINOPOLITANA: h. e. Editio *Bartho-  
lomæi Justinopolitani*, memorata *Conr. Gesnero*, vel pro-  
pter augmentum, *Josæ Simlero* in Bibliothecâ p. m. 569.  
edit. Tigur. in fol. de anno 1574. qui Epistolas Phalaridis  
junctim cum Apollonii & Bruti ad verbum transtulit &  
græcè ac latinè excudi curavit. anno 1502. in 4to.

III. *Editio* COGNATIANA h. e. *Gilberti* COGNA-  
TI Nozoreni (*multæ eruditionis ac præstantis ingenii Vi-  
ri CL. & Splendoris Burgundia, ut audit Adamo Henrico  
Petri, præfat. in Gellium Basileæ à se editum 1565, ins.*) qui Epi-  
stolas Phalaridis inseruit Farragini primæ Epistolarum  
Laconicarum atque selectarum, Basileæ editæ, curâ Joh. Opo-  
rini cl. b. LIV. in 12.

IV. *Editio* BUCHLERIANA i. e. *Jobannæ* BUCHLERI  
Gladbach, qui Epistolas Phalaridis ex versione Fr. Aretini  
junctim exhibuit in *Tbesauro Laconicarum Epistolarum bi-  
partito, & quidem posteriori, qui Græcorum argutas & poli-  
tulas*

tulas Epistolas continet, sicut prior Latinorum, pag. 702. seqq.  
Colonæ in 12. anno M. DC. VI.

Inter posteriores Epistolarum Phalaridis editiones, nempe Disjunctas seu separatas, eminent seqq.

*Editiones  
separatae  
&  
disiunctae*

I. ARETINIANA, *Francisci ARETINI*, qui Epistolas Phalaridis seorsim edidit, nempe ex Græcâ in Latinam linguam versas, Parisiis A. 1493. impressas & denuò Cremonæ A. 1505.

II. SAVIANA, *Antonij Thoma Savij*, Medici Lugdunensis, qui Epistolas Phalaridis ab Aretino versas, ad Græcum Exemplar ALDINIANUM contulit, pristino nitore, Librariorum incuriâ corrupto, restituit, & omissas supplevit, idq; A. 1550 Lugduni in 8. Vid. Epistola Savij Dedicat. ad *Guil. Popetium*. Titulus est: *Phalaridis Agrigentinarum Tyranni Epistola, Francisco Aretino Interprete, nunc demum operâ Antonii Thomæ Savij ad Græcum exemplar collata, terçissimè in lucem emissa Lugduni ap. Joh. Tornesium M. D. XXXXX.*

III. LUBINIANA, *Eilhardi LUBINI*, qui Epistolas Phalaridis Græco Idiomate, absq; versione Latinâ, edidit Rostochiâ anno Cl. Ic. III. C. (1597.) in 8. hoc Titulo: *Φαλαριδος Ακρεγυαλιων τυραννυς Ἐπιστολαι πανορθωμενισαι: Phalaridis Agrigentinarum Tyranni Epistola Ingeniosissima & admirabiles, in quibus optimè & sapientissimi Imperatoris Idea proponitur, jam primùm in Germaniâ edita. Habetur hæc Editio, unâ cum Aretini, in instructissimâ Bibliothecâ & θωρακιστῆς nostri FECHTII.*

IV. BOYLEANA, *Caroli BOYLEI*, qui Epistolas Phalaridis Græcas & Latinas meliores, quam hætenus extabant, procudi fecit, Græcum contextum cum duobus MS. Bodlejanis è Cantuariensi & Seldeni Museo petitis contulit, novamq; versionem Latinam, quæ fideliter Græca verba exprimeret, adornavit, cum in Versionibus, Aretini & aliorum, quæ minus probaret, occurrerent: idq; A. M. DC. XCV. in 8. ex Theatro Oxoniensi. Titulus ita habet: *Φαλαριδος Ακρεγυαλιων τυραννυς Επιστολαι, Phalaridis Agrigentinarum Tyranni Epistole: Ex MSS. revent, versione, Annotationibus, & vitâ insuper Autoris donavit, Car. Boyle. Ex Θεσσοπονιαι επιτ. α. χ. η. ε. η. ε. A. M. DC. XCV. Ex eudebat J. Crooke.*

Subjic.

Epistola Ste-  
phanii,

\* Institutum  
hoc J. Arndii  
fuit Commen-  
tarius inte-  
ger in Episto-  
las Phalari-  
dis, qui etiam  
absolutus est,  
sed nescio quo  
fate, deinde  
abijt evasitq;  
in Bibliothecâ,  
si non planè  
perijt.

Controversia.

Recentior.

Recentissima.

Subjicimus Celeb. olim Philologi Dani, *Stephani Johani-  
nis Stephani*, de editionibus Phalaridis, ad *Josua ARN-  
DIUM*, B. P. N. Epistolam. Pietate, Eruditione, ac Virtute Præ-  
stantissimo Dn. *Josua Arndio*, Amico sincerâ benevolentia  
conjunctissimo, S. P. D. *Stephanus*. Ut amicissimis literis tuis  
inter gravissimas occupationes paucis respondeam, quem à  
me petis MSC. Codd. Epistolarû Phalaridis, lubens equidem  
volensq; te tecum communicarem, si meâ in Bibliothecâ ex-  
istaret. Typis quidem excusa penes me sunt hu, us Auto ris  
Exemplaria: *Unum* quod publici Juris fecit *Edwardus LU-  
BINUS* Grajà Lingvâ; *alterum* ex *Versione Francisci Are-  
ngii* Lugduni impressum anno salutis 1550; *tertium* ex editio-  
ne *Aldi Manuzii*, quod MS æqvabit, nam dias in Luminis  
oras prodiit circa Annum 1499. Quod si tuo hæc instituto \*  
intervire possint, primâ quâque occasione expectabis: imò  
& alios libros quos mei foruli Tibi suppeditabunt. Inte-  
rim peramanter rogo, ut affectum erga me Tuum, quem  
in literis tuis non obscure declarasti, perpetuum ac con-  
stantem conserves. Spondeo me totum tuis commodis ad-  
dictum fore, & ad omnia quæ à me proficisci possunt of-  
ficia propensissimum. Vale & salve Vir Doctissime & Bo-  
no publico diu superstes vive, vige, flore. Soræ, raptim,  
Cal. Febr. 1647. Tui amantissimus, *Stephanus Joh. Stepha-  
nii*.

Ildò.

CONTROVERSIAE observari merentur.

Controversia de Epistolis Phalaridis exorta, in his circi-  
ter terminis versans: An nempe *Epistole Phalaridis sine  
genuine an supposititie?* olim exercuit Viros Doctissimos &  
hodiè exercet. *Angelus Politianus* Epist. 1. *Lilius GIRAL-  
DUS* de Poët. dialog. 3. *Bourdelotius* Præf. poster. ad *Lucian*. nul-  
lis tamen additis rationibus, contenderunt esse supposititias,  
& quidem à *LUCIANO* scriptas & confictas; Contra, *Thomas  
Fazellus* Rer. Sicul. Dec. 1. L. 6. c. 1. *Jacobus Capellus* Hist. Sacri  
& Exot. *Guilielmus Templeus* in Miscell. de Erudit. Vet. & Nov.  
vulnerunt esse genuinas Phalaridis. Novissimè *Richardus  
BENTLEJUS*, Anglus, pecul. dissertatione spissâq; Epistolas  
Phala-



Phalaridis supposititias adituere conatus est, contra *Boyleum*, qui genuinas illas in Præfatione edit. de anno 1695, venditaverat. Titulus est: *Dissertatio in Epistolas Phalaridis, unâ cum responsione ad objectiones Boyleanas, Richardi Bentley Capellani ordinarii & Bibliothecarii Regii. A. 1699, Lond. in 8.* Sed responderunt jam BENTLEJO & genuinam rationem Epistolarum propugnarunt Boyleani scripto Anti-Bentlejano, anno eodem, sub tit. *Brevis Explicatio Humanitatis & Justitiæ Bentlejane, erga Autores ipsos qui priores scripserunt, &c. additâ Epistolâ Dn. Boylei. Lond. 1699.* Conf. *Historische Remarques de A. 1699, p. m. 167. 191. 286.* De Recentissimâ Controversiâ Bentlejo - Boyleanâ non possumus judicare, quia scripta nimium à nobis remota adeoq; simul oculis & manibus nostris. Recentiore quod attinet, *Giraldus, Bourdelotius & alii*, inducti sunt fortasse duabus Luciani declamationibus, PHALARIDARUM titulo inscriptis, quibus æneum bovem à Perillo fabricatum Delphos mittere inter cætera donaria Apollini consecranda Phalaris fingitur. Sed benè annotat Boyleus ex duplici ratione vacillare hanc conjecturam. (1) ex DIVERSO STYLO, quia dissimile in istis declamationibus & his Epistolis orationis genus occurrat. (2.) ex DIVERSO ARGUMENTO, quia in utrisque occurrant nonnulla adversis frontibus. Digna sunt, quæ audiantur, verba ipsius Boylei in præfat. *Luciani declamationes, quas Phalaridas vocat, ut mihi videtur, nihil habent cum Epistolis Phalaridis commune. Disspar est Phalaridis defensio, difficile admodum orationis genus, diversa etiam historia: in utrisque, (quod obvium erat) famam sibi malignam queritur, & necessitatis excusatione utitur Tyranus: verùm in illis crimen timidè fatetur, cavè dissimulat, captat gratiam; in his audenter omnia & generosè effatur, ita de famâ queritur ut eam simul contemnat, & sibi se non alius purgat. Illæ demissæ sunt, lenes, perspicuæ, equabiles; hæc viride, incitata, obscuræ, asperæ. An verò, si idem utrisque Author extitisset, cum in illis præcipuum esset argu-*

*Rationes dubitandi.*

*Ex una parte.*

mentum Tauri Delphos missi legatio, in his nulla occurreret  
 eam celebris legationis mentio? An ibi neminem praeter  
 Perilium Tauri inclusum, & illum viventem adhuc aëre spi-  
 rantem educi; hinc & illum & alios 37. in eadem macina  
 confectos memoraret? An ibi dum Phalaris & Perilaus  
 uerq; Agrigentinus; hic ille Cretensis, alter Atheniensis au-  
 dret? Haec faciunt, quo minus Epistolas has LUCIANO cri-  
 buam. Contrà ex dupliciali ratione idem Boyleus I. C.  
 colligit probabiliter, Epistolas esse genuinas Phalaridis,  
 nempe. (1.) STYLI MAJESTATE, (2.) RERUM PON-  
 DERE. Merentur denuò ipsius verba apponi: Dum cogi-  
 tandi vim liberam & solutam, dicendi audaciam; affectuum  
 pro diversâ rerum facie vehementiam & varietatem; effus-  
 sam in amicos benevolentiam, acerbum in hostes odium; piam  
 erga literatos reverentiam, sinceram, adversus probos amici-  
 tiam admiror: quum videam quale sit Viri de divendi ratio-  
 ne ac viâ, de morte contemnendâ judicium; quæ ingenii fero-  
 cia, quanta exercenda vindictæ solertia; magnificum quid-  
 dam ac Regium animo obversatur & pæne cogor loquentem  
 agnoscere Tyrannum. A quo enim Rheiore pingenda erat  
 tanta animi magnitudo? Quâ arte imitabilis? Quis unquam  
 Scriptor personatus accurate ad eum Tyranni ingenium expressit,  
 ut non simul proderet suum? ut non latentem sub Rege Sophi-  
 stam facillè deprehenderes? Nullam tamen harum senten-  
 tiarum ita undiq; firmam esse judicat Boyleus, quin dubia  
 quædam circa eam exoriri possint, in summâ, apodicticè  
 hic nihil concludi posse, tantum probabiliter omne pu-  
 ctum colligi. Verba ita habent: Non est tanti controversia,  
 ut pro alterutrâ parte acriter dimicandum sit, verisimile  
 utrinque aperiendum est. Sunt cur dubitem an Phalaris jure  
 Epistolas vendicet suas. Dubitat autem Boyleus ex qua-  
 tuor rationibus. (1.) SILENTIO COÆVORUM. Negq;  
 enim facillè (inquit poterant Literæ & à Viro tam insigni scri-  
 ptæ & in suo genere absolutæ, ultra mille annos latere penitus  
 ignotæ. (2.) DIALECTO AGRIGENTINORUM. Negq; cum  
 Siculis (ait) Scriptoribus placuerit semper dialectus Dorica,  
 Agri-

Ex alterâ  
 parte

Rationes de-  
 cidendi.

*Agrigentorum Tyrannus aliâ uti debuit.* (3.) **STYLO**  
**OPPOSITORUM.** *Stylus* (pergit nihil habet Rege indignum,  
*nisi quod in Antihetis sit nimius & interdum frigidior.* (4.)  
**NOMINE CONFICTO EPISTOLARUM.** *Advertentiam,*  
 (porrò infert) *quòd serant nonnunquam Epistole nomina, quæ*  
*ad earum materiam facta videantur.* Hæc tamen dubia  
 non ob stare insinuat, quò minus Epistolas Phalaridi ad-  
 judicandas esse existimet; non *Imum*, quia profectum  
 ex neglectu vel contemptu ejus qui vulgò Tyrannus ha-  
 bitus; non *Indum*, quia usus est libertate Regiâ, scribens  
 ad viros plerumq; doctissimos & dialectorum peritissimos;  
 non *Illium*, quia unus excessus & defectus inferior re-  
 liquis Virtutibus, & quia ad regium scribendi morem, non  
 philosophicum rigorem compositæ Epistolæ; non *Itum*,  
 quia fortuitum esse potuit. Unde tandem concludit, ve-  
 rosimiliorem manere sententiam quæ Phalaridi assignet  
 Epistolas. Verba sunt: *Quod historiam spectat, quis cum*  
*fuert Siciliae & rerumpubl. in illâ status, quæ bella gesta,*  
*quæ inira fœdera, temporis injuria incertum reddidit; & Viri,*  
*ad quos scribit, pleriq; obscuri sunt, præter Stesichorum, Py-*  
*thagoram & Abarin, qui cum illius ætate benè congruunt,*  
*ita ut nullam hinc dubitandâ ansam arripere possimus.*

Decise.

§. III.

JUDICIA DE PHALARIDE.

**D**Uplex apud Eruditos Antiquos & Recentiores depre-  
 hendimus de Phalaride Judicium, alterum **VULGARE**  
 & **RIGOROSUM** nimis, alterum **SINGULARE** & **MO-**  
**DERATUM.** Prius **JUDICIUM** quod attinet, hæcenus  
 Phalaridem notissimum & crudelissimum Agrigentorum,  
 quod oppidum est Siciliae, Tyrannum, nactum majorem  
 magistratum, cujus occasione tyrannidem ejus urbis in-  
 valuisse dicitur *Aristoteli* V. Polit. c. X. (quod non temerè alibi  
 reperias, si Doctiss. *Gifanum* in *Comment.* audimus in illum  
 Philosophi locum p. m 655 edit. Francof. 1608. in 8vo) adeò  
 infamavit, ut *Agrigentorum Tyrannus omnium crudelis-*  
*simus*, **CICERONI** audiat in VI. Verinâ c. XXXIII. & l. 2.

Judicia Pha-  
 laridina.

Duplex judi-  
 cium.

Prius

Ciceronis.

- de offic. c. 7. qvi & *Φαλαργισμὸν* ab eo pro Tyrannide dixit  
 in XII. ad Atticum Epistolâ Libr VII. *Valerio Maximo* l. 9. c. 2.  
 Extr. 9. *Sævus ille æneï tauri inventor; Plin. l. XXXIV. c.*  
*VIII. p. m. 604. edit. Froben. Basil. M. D. XLIX. Perillo*  
*ævior Tyrannus; Plutarcho de Fortn. Rom. T. II.*  
 edit. Francof. Xyland. p. m. 315. *Agrigentorum Tyrannus cru-*  
*delis hospites vorqvens & exerucians; Ovidio item Lib. V. Trist:*  
*eleg. 1. v. 53. Lib. 1. art. amor. v. 653. & in Ibin v. 439. impri-*  
*mis L. Trist. eleg. 12. Juvenali satyrâ VIII. v. 79. sq. displi-*  
*ceat à Crudelitate ænei tauri: A Domitio CALDERINO,*  
*Veronensi, Secretario Apostolico, in notis ad Juvenal. l. c.*  
*Sævisſimus Sicilia Tyrannus & primus, salutetur: & ab Erasmo*  
 in Proverbiis, *Phalaridû imperium* proverbii loco afferatur in  
 titulo CRUDELITATIS edit. in fol. Francof. Wechel. 1629.  
 p. m. 153. Sic, ut alia testimonia taceamus, plenum est Vulgare  
 iudicium crudelitate Phalaridis, vacuû ejusdem Virtutibus.  
 Postterius iudicium SINGULARE & MODERATUM,  
 h. e. paucissimis obvium, & virtutes æqvè ac vitia Phalaridis  
 æstimans, apud accuratiores tantum reperitur, *Eilhardus*  
*LUBINUS* in notis ad Juvenal. l. c. scribit: *Phalaris fuit longè*  
*ingeniosſſimus, ut ex Epistolâ ejus apparet, quibus an in illo*  
*genere aliquid ingeniosius unquam scriptum sit, valde dubito.*  
 Et in Epist. dedicat. edit. Epist. Phalarid. Rostoch. de anno  
 1597. in 8. præmissâ, quæ tota legi meretur & relegi, inter  
 alia ita monet: *Ego sentio nullum Phalarin adeò in suos boſtes,*  
*quàm viros doctos in Phalarin fuisse crudeles: qui ejus se-*  
*vitia tantum, quam in malos justissimè exercuit, mentionem*  
*fecerunt, virtutû & sapientiæ, quæ in illo admiranda, nullam.*  
*Testes appello has Epistolas, quibus inter omnia scribendi genera*  
*nullum verius, & quæ nimirum demonstrant inter Ethnicos*  
*nullum Imperatorem Phalaride vel meliorem vel sapienterem*  
*extiſſe. In quo inter alias virtutes, Pietatis in Deum, in pa-*  
*triam, & in omnes homines, Benevolentia in viros doctos & sa-*  
*pientes, Gracitudo in erga bene meritos, Liberalitas in omnes,*  
*Idea proponitur. Caterùm his Epistolâ nihil ingeniosius*  
*tingi potest, adeò ut merisò ambigatur, melior an doctior Im-*  
 per a-

perator Phalaris fuerit. Idem quoque Judicium de Phalaride & ejus Epistolis jam ante Lubinum tulit *Franciscus* ARETINUS in epistol. dedicat. edit. Epist. Phalarid. præmissâ, de anno 1493, & repetitâ in Savianâ auctâ de *A.* 1550 quod propter dignitatem ac raritatem totum descripsit in Animadvers. Philologico-Histor. part. II. cap. V. §. VII p. 179. seq. Egregius hodiè Philologus in Bataviâ, *Thom. s. CRENIUS*. Ita inter alia habet Aretinus: *Cruditatis qua omnes eum accusant, non tantum mihi ipse arrogo, ut melius quàm ipse se excusaturum me existimem. Id tamen dicam, quod ad ejus defensionem non parùm facere arbitror: Eo tempore, Sicut, tyrannidis expertes & peregrino & exuli [Cretensem enim & à patriâ Aitypolide exulem se ipse testatur] & eique paulò antè ne parem quidem habuissent, perire indignabantur. Hinc populorum odium, hinc conjurationes, hinc Phalaridæ metus & quæ de eo feruntur, Cruditates, emanarunt. Ceterum Epistolis nihil gravius, acutius, pressius (& Græcorum & Latinorum pace dixerim) in hoc scribendi genere invenies. Cujus dicendi characterem utinã mea assequi potuisset oratio, CAROLUS quoque; BOYLEUS his consentire videtur in Præfat. præfixâ edit. novissi. de *A.* 1695. in 8. Epistolas, inqviens, *has in manus sumentium non tam inutile erit inquirere quis scripserit, quàm jucundum experiri lectu dignas. De Autore frustra forsitan consules Doctores discrepantes, de operis dignitate reipsum majorem cum fructu consules. Idem, in Vitâ Phalaridis: Si Viri ingenium æstimes ex Epistolis, non modò non foedum & immanem, sed nulli vel justitiæ vel humanitatis laude secundum judicabis.**

*Aretini*

*Boyle*

## SGHEDIASMA SECUNDUM

DE

MARCO AURELIO ANTONINO PHILOSOPHO, IMPERATORE ROMANO.

§. I.

VITA ANTONINI.

Vitam Imperatoris ANTONINI descriperunt Historici Antiqui Romani, & Recentiores Compendiarii atque

*Vita Antonini contracta.*

Systema.

B. 3

Systematici, è quorū ingenti numero, tres diligentissimos meritò præceteris comendamus: (1) *Christoph. Pez-lium in Mellificio Historico* in fol. edit. Franc. de anno 649. p. m. 359. 360. (2) *Christ. Matthiam in Theatro Historico* de A. 1684. in 4. Francot. & Lipsi pag. 566. sqq (3.) *Andream Dacerium cum Uxore, in Præfata. edit. Libri Antonini ad se ipsum, ubi magnò cum judicio & pulchrò verborum ornatu vità Antonini concinnarunt, de quibus infra pluribus. Nos concisè ita colligimus: Marcus Aurelius Antoninus ortus erat ex familià Anniorum quæ originem ad Numam Regem referebat. Ante adoptionem ab Imp. Antonino Pio factam, vocabatur Aurelius Verus, postea, Aurelius Antoninus & Pio mortuo, unà cum fratre, Lucio VERO, in imperio successit, & cum fratre IX, solus X annos, Romani Imperii habenas tenuit. Paucos regnandi scientià & felicitate pares habuit, Philosophiæ studio non siccato sed in mores traducto, præsertim STOICO, omnes superavit. Ad Christianismum, partim Theologiæ naturalis præ reliquis eminentià, partim pluri in Bello Qvadico & Marcomannico miriculosà, partim Philosophiæ quam excolebat analogià, fortiter manuductus fuit; sed præjudiciis non superatis, æterno cum damno manuductionem illam sequi neglexit, Decessit anno ætatis LIX, Felicissimus, si Christianus, nec pessimi filii, L. Commodi, Parens fuisset. Conf. *fusus II. cc.**

§. II.  
SCRIPTA ANTONINI  
cum Editionibus.

Scripta Antonini cum editionibus

I. Epistolæ ejus

Editiones

DUO circumferuntur Scripta, nomine ANTONINI Imperatoris Historicis & reliquis annotata. Primum est EPISTOLA ejus ad *Senatum Romanum*, de LEGIONE FULMINATRICE cujus mentionem injicit, *Tertullianus in Apologes. cap. V. Orosius lib. 7. c. 15. & Xiphilius Epitomator Dionis Cassii*; quæq; edi solita, cum *Apologia II. Justiniani M.* (vid. p. m. 101. edit. in fol. Paris. de A. 1636. Fried. Morelli) & asservata apud BARONIUM *Annal. Eccl. ad an-*

11178

*num* *Christi*, 176. n. 22 item apud *Angelum Roccam* qui *Commen-*  
*sario de Bibliothecâ Vaticanâ*, interuit latinum Epistolâ hujus  
 Exemplar ex ipsâ Bibliothecâ Vaticanâ depromtū. Unde idē  
*de Atheismo Eradicando ad Antonium Reiserum Epistola* appo-  
 suit *Theophilus SPIZELIUS* p. 136. sq. in 8. *Aug. Vind.* A. 1669.  
 Quamvis verò pro genuinis Imperatoris literis, quicquid  
 eo nomine exhibetur, hodiè à PONTIFICIORUM ple-  
 risque habeatur: ad ductum tamen *Josephi SCALIGERI*  
 nostratum plerique pro genuino Imperatoris monumen-  
 to agnoscere noluerunt, sed potius supposititium & ad  
 ævum Justinianum referendum censuerunt. (1.) ex EU-  
 SEBII SILENTIO, cujus ævo si genuina superfuisset  
 Epistola (prout superfuit forsitan ævo Tertulliano) operi  
 ejus Historico sine dubio pro solemnî diligentia sua mo-  
 re inserta legeretur. (2.) IDIOMATE PEREGRINO,  
 quia Epistola hodiè extans originaliter Græco est confi-  
 gnata idiomate, cum tamen Imperator citrà dubium, ad  
 Senatum non nisi latino idiomate scripserit. (3.) TITULO  
 DEBITO OMISSO, quia in titulo solemnî Imperatoris  
 nomina omîssa sunt. (4.) OBVIO BARBARISMO, quia  
 stylus Græco, quem omnia Exemplaria latina expresserunt,  
 multis barbarismis & solæcismis abundat, ut vel ex ejus  
 intuitu pateat, fraudibus Græculi cujusdam hominis, rerum  
 Romanorum imperiti, suppositum esse. (r.) FL-  
 CTITIO ABSURDO, quia Imperator fingitur inter  
 alia in Epistolâ asserere: Quod militaverint ejus sub au-  
 spiciis Christiani, armis tamen instructi non fuerint, sic,  
 ut ad ea, tanquam ordinaria media refugissent. Que-  
 madmodum hæc aliaque argumenta legi possunt apud  
 SCALIGERUM *ad Chron. Euseb.* p. m. 222. b. *Add.*  
*Christ. Kortholtus Tract. de Persecut. sect. V. S. xxxi.* p. m. 219.  
*sq. edit. in 8. de A. 1660 Jenæ Joh. Henr. Bædlerus Histor.*  
*Univ. IV. C. N. secul. seculo II. do, sect. III. § 3. & sect. V. S. 16.*  
*Herm. Wessius in diatriba de legione fulminatrice, subjunctâ*  
*ejus Egyptiacis Amstelod. 1683 in 4. ed. ubi pro se citat, præ-*  
*ter Scaligerum, Salmasium & Huetium. Joh. Gottl. Möl-*  
*lerus in Epistolâ controversario Rosioch. 1695. in 4.*  
edit

Judicia Do-  
 ctorum.

edit. Observat. *Vita* §. VIII. pag. 45. 46. qui omnes suppo-  
sititiam Epistolam illam appellant & demonstrent. Ut  
adeo miremur doctissimum Dn. Spizelium in Epistolâ alle-  
gatâ asserere, *neminem hactenus*, hodiè superstitem An-  
tonini Epistolam, *Confictam vel supposititiam vocare ausum*  
*esse*, pag. 140. cum tamen ausus fuerit ante ipsum non tan-  
tum vocare sed & probare talem, ad minimum, *Scalger*,  
item *Salmasius*, si non alii plures.

2. Liber ad  
seipsum

ditiones!

Judicia Do-  
ctorum.

Alterum est: LIBER AD SEIPSUM vel DE SEIPSO,  
Græcè scriptus, tit. *Τὰ εἰς ἑαυτὸν*, velut alii Codd. legunt,  
*τὰ κατ' ἑαυτὸν* item *ἐκ τῶν κατ' ἑαυτὸν*, & in duodecim Ca-  
pita distributus. Cujus tres exstant illustriores Editiones.  
Ima CASAUBONIANA, quâ prodiit cum Guilielmi Xy-  
landri annotationibus, ac notis & emendationibus *Merici*  
*Casauboni*, *Isaacii filij*, Græcè & Latine Lond. in 8. M. DC.  
XLIII. in 8. Qvam editionem tanti olim fecit CHRISTI-  
NA Sveciæ Regina, ut semper secum tulerit, teste Ma-  
gno BOECLERO. Imda GATAKERIANA, quâ prodiit  
cum Latinâ versione, variis lectionibus & Commen-  
tario perpetuo *Thomæ Gatakeri* Londinatis, Canta-  
brig. A. 1652. in 4. Illia DACERIANA, quâ prodiit  
cum Versione Gallicâ & Observationibus Historico Mo-  
ralibus ac Politicis, *Andrea Dacerij*, ejusque Uxoris,  
*Anna LeFevre*, seu *Tanaquilli Fabri filia*. Ultrajecti. 22.  
Tom. in 12. An. 1691. cujus editionis contenta lege apud  
Actor. Erud. Collect. Lipsiens. de A. 1692 Tom. XI. pag.  
251. sqq. *Job. Henr. Baclerus* in *Histor. Univ. IV.*  
secul. à C. N. secul. II. sect. V. §. IX. Duplex, inquit, *de hoc*  
*Libro est Judicium, vulgi & eruditorum, & inter eruditos*  
*ipso paucorum. Vulgò nimis magnificè de hoc opere sen-*  
*tiunt, præsertim propter philosophiam Stoicam, eruditi au-*  
*tem non tam magnificè de eo judicant. Sunt enim revera*  
*scope dissoluta, calx sine arenâ, nihilque contexti inest, &*  
*videntur mera excerpta & fortasse sub ejus nomine edita;*  
EGO cerè NUN QUAM CREDIDERIM ESSE JPSIUS  
ANTONINI. Reperiuntur quidem aliqua, etiam præclara,  
sed



sed sine contextu omnia dicuntur. In sinu videntur illi, qui tam magnificè hoc scriptum extollunt, cùm ne in mediocri Scriptore istiusmodi negligentia toleretur. Sic BOECLERUS supposititium iudicat hunc librum & futilem. Sed allegati jam jam Editores longè doctissimi ac celeberrimi, *Casaubonus*, *Gatakerus*, & *Dacérius cum suâ uxore*, genuinum hunc librum iudicant & utilissimum, nec putant solam obitare in *Methodo* seu methodi atq; connexionis defectum, quia etiam nullâ methodo philosophicâ & vulgari compositus, compositus tamen methodo regulâ & arbitrariâ, neq; id ex negligentia destinata, sed fortuitis meditationibus, quibus scriptus est ab Imperatore, in ipsâ scèpè expeditione, ut in fine lib. seu cap. i. memoratum reperitur v. g. *scriptum in castris ad Granuam in Pradiâ*, item fin. cap. seu lib. 2. *in castris Carnunt*. Quorum iudicio eousq; acquiescendum esse videtur, donec æquè solida, ac de Epistolâ hujus Antonini suprâ adductâ, argumenta, pro spuria libri istius conditione, in medium proferantur.

§. III.

JUDICIA DE ANTONINO.

Judicia de M. Aurelio Antonino Imp. ex Variis Scriptoribus seqq. colligimus selectiora, (1.) *Conradi Gesneri* in Bibliothecâ pag. 468. *Marcus Antoninus Imperator filio suo in Imperio successori, institutionis Imperialis librum à se compositum reliquit, qui omnis generis exemplorum & discipline plenus fuisse dicitur* (2.) *Casp. Barthii* in *adversar.* Lib. XLII. cap. 6. p. m. 1875. edit. Francof. 1624, fol. *Antoninus Imperator aureolis illis Eclogis librorum τὰν ἐκ τῶν αὐτοῦ suum, ut Antonini, ut Romani, ut Philosophi, ut hominis denique officium, erga se, erga Patriam, erga sapientes bonosqve, denique erga Homines, mundum, Deumq; complexus erat, qui libri immani detrimento seculi nostri usque ad tenues illas optiones perierunt.* Et Lib. XLIX. Cap. III. p. m. 2283. *Qui discere voles summam philosophiæ summæ i. e. Imperatoris, consideres & quotidiano usu teras demum & ediscas Eclogas librorum M. Antonini Imperatoris, quas secundum Christianam doctrinam nequaquam unquam satis laudari posse assero; Traducam autem de novo mox integras*

Judicia Antoniniana

Gesneri

Barthii

C

integras



Boecleri

integras in latium & capitibus & capitum summis distin-  
das illustrabo, ut notior rebus humanis fiat tantus, tam in-  
comparabilis thesaurus. (3.) Joh. Henr. Boecleri in  
Hiflor. Univ. IV. secul. à C. N. secul. II. sect. II. §. 3. Marcum  
Antoninum, Virum in omni vitâ philosophantem, non tam  
cognominaveris quàm dixeris Philosophum, cum præser-  
tim illud Platonis semper in ore ferret: Florere civitates,  
si aut Philosophi imperarent, aut Imperatores philosopha-  
rentur. Apud Ægyptios Civem se egit & Philosophum in  
omnibus studijs, templis, locis, sed & scripsit opus Φιλο-  
σοφικῶν τῶν; imò factis moribusq; magis etiam philoso-  
phatus est quàm verbis, suiq; exempli honore seculo gratifica-  
tus est, notante Herodiano. Defungar brevi elogio Hero-  
diani, qui mirificâ brevitate extrema hujus Principis repe-  
rendo summam vitæ exhibuit, cum consensu post mor-  
tem laudatum refert, Parentem bonum, probum Princi-  
pem, constantem & fortissimum Ducem. (4.)

Bosii

Joh. Andr. Bosii, disert. isagog. de Comp. Civil. Prud.  
§. XI. apud Thom. Crenium Tom. II. Methodolog. de A.  
1696. Lugd. Bat. in 4. pag. 358. Antoninus Imp. librum  
scripsit de vitâ suâ qui propriè ad Politicam non pertinet,  
sed potius ad Ethicam, cum mores potissimum & vitam  
privatam Principis instruat. (5.)

Dacerii &  
Annae

Andr. Dacerii, ejusque Uxoris, Annæ Fabrinæ, in Præf.  
Edit. suprâ cit. præfixâ, quæ ferè tota in laudem Anto-  
nini ejusque Philosophiæ, scil. Stoicæ, conscripta est &  
ita concluditur. Qui librum Antonini (De se ipso)  
legerit, illum uno tantum veluti gradu à Christianismo ab-  
esse, neq; tamen ad hunc, nisi per divine gratiæ auxilia,  
progressurum. Commendant & Antonini industriam  
quod aliis pleraque verbis commodoque ac eleganti  
modo enunciaverit. De LIBRO ipso ita judicant:  
Congessit sententias aut observationes de se aliisque, quibus  
ipse ad virtutis studium excitari, & ad ferendam qualera-  
cunq; fortunam mentem posset componere, nullo quidem Me-  
todi

*in hodi aut connexionum artificio sed ex fortuita meditatione  
nibus in ipsa saepe expeditione.*

Plura iudicia inuenies apud Historiographos.

## SCHEDIASMA TERTIUM

DE

### AGAPETO DIACONO.

§. I.

#### VITA AGAPETI.

*Vita Agapeti  
contracta*

**D**e Vita Agapeti paucissima habentur. Duo tempore  
hujus Agapeti claruerunt Constantinopoli Agapeti,  
ambo Monasteriorum Archimandrita, quorum crebra  
fit mentio in Actis Synodi Constantinopolitanae sub Men-  
na. Alius item Romanae Ecclesiae Diaconus ejusdem no-  
minis, qui post Justinianum electus Pontifex Romanus  
creditur, in Actis tertiae Romanae Synodi sub Symmacho  
Pont. Rom. memoratur. At horum nemini Paraneses  
illae, de quibus mox, tribui possunt. Agapetus igitur  
noster, cujus Paraneses occurrunt ad Imp. Justinianum,  
profitetur sese Constantinopolitanae Ecclesiae Diaconum,  
(*de cujus officio prolixè Lib. 1. comm. Cap. 10. ad Codinum  
Jacobus Gretserus*) & Graecum fuisse, libelli oratio  
atque stylus arguunt. Praeter haec de eo nihil ferè scitur.  
Per Adulationem felicitatem illam agnoscere in Justini-  
ani temporibus Agapetum Cap. XVII. Sched. Reg. à quâ  
tamen illa longius abfuerint, putat *Casp. Barthius aduer-  
sar. lib. 49. c. 3. p. m. 2284. ed. Francof. M. DC. XXIV. in fol.*  
illam scil. quam Plato dixerit futuram, cum vel Philo-  
sophi regnarent, vel Reges philosopharentur. Sed malè.  
Non adulatio est sed veritas, Imperatorem Justinianum  
fuisse Literatissimum. Barthium decepit Svidæ locus, ubi  
Justinianus dicitur *ἀναλφάβητος*. Verum ibi non est hic  
noster Imperator, sed alius Rom. Imp. scil. Justinus. *Conf  
Damken. ad Cap. XVII. & LII. Agapet. p. m. 60, & 152. §.*

§. II.

#### SCRIPTA AGAPETI.

**Q**uemadmodum Vita Agapeti rarissima, ita rarissi-  
ma

*Scripta Aga-  
peti cum edi-  
tionibus*

μα quod; ejus sunt scripta, absolvunturque Parænesi-  
 bus ad Justinianum Imp. scriptis, quarum titulus ita habet :  
 ΑΓΑΠΗΤΟΥ ΤΟΥ ΔΙΑΚΟΝΟΥ ΚΕΦΑΛΑΙΑ *ἠδὲ* *ἑπι-*  
*κρίσις*. ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΙΟΥΣΤΙΝΙΑΝΟΝ.  
 h. e. *Agapeti Diaconi Capita Admonitoria ad Imp. Justiniani*  
*avum LXXII.* Et quidem Acrosticha, quorum scilicet Apices  
 literarii seu literæ initiales hæc representant verba :  
 Τῷ θεωπάτῳ καὶ ἐπιβασίτῳ βασιλεῖ ἡμῶν Ἰουστινιανῷ  
 Ἀγαπητῷ ὁ ἐλάχιςτος Διάκων *ἠδὲ* *ἑπι-*  
*κρίσις* i. e. *Divo & Pientissimo*  
*Imperatori nostro Justiniano, Agapetus minimus*  
*Diaconus.* Editiones existant vel *conjunctæ*, quibus jun-  
 ctim edita est Scheda Regia Agapeti, vel *separatæ*, quibus  
 seorsim. Priores quod attinet, existat (1) in Ortho-  
 doxographis Patrum Gr. Lat. Joh. Jacob. Grynæi in fol.  
*A. 1569.* Basil. Tom I, pag. 180. 199. (2.) in Bibliothecâ Pa-  
 trum edit. 2. Paris. Tom. II. fol. 795. citante Oleario. Po-  
 sterior quod attinet,

*Editiones*

*Conjunctæ*

*Separatæ*

(1.) Edita est seorsim Scheda Regia Agapeti à *Joachimo Camerario* aliquoties cum aliis opusculis.

(2.) à *Stephano Schöningio* cum notis.

(3.) Diversis vicibus, tum in Germaniâ, tum Galliâ, tum Belgio.

(4.) à *Georgio Draudio* Francof. 1615. in 4to sub tit. *Agapeti Scheda Regia ad Justinianum, cum duplici versione latinâ, discursu, sententiis, Exemplis & questionibus Theologico-Politico-philosophicis illustrata à G. Draudio.*

(5.) à *Matthiâ Martinio.* Bremæ Anno 1615.

(6.) à *Johanne Oleario,* *A. 1593.* Halæ Sax. Illustriff. Brandenb. Marchioni, post Electori, Joh. Sigismundo, per Acrostichin [ ad imitationem Agapeti ] dedicata & Capitibus Aug. Conf. Librique Concordiæ pio & sci-  
to simul studio combinata.

(7.) à *Bernbardo Damkenio* græcè & latinè cum notis elegantissimis, Basileæ. M. DCXXXIII. in 8.

(8.) à *M. Jacobo Brunone* cum notis, recognitis & scholiis pluribus adauctis ab hujus Filio *Jacobo Paneratio Brunone* Philosoph. & Med. D. & PP. Norimb. Lipsiæ. M. DC. LXIX. in 8.

§. III.

S. III.  
**JUDICIA DE AGAPETO.**

**E**X Judiciis selectioribus de AGAPETO sqq. veniunt annotanda (1.) Conradi Gesneri in Bibliothecâ pag. 14. *Agapetus Diaconus Magnæ & Sacrosanctæ Dei Ecclesiæ, scripsit sententias paræneticas numero 72. ad Imp. Justinianum, græco sermone, quam Græci Schedam Regiam appellant, disserit enim de Regis Officio.*

Judicia Agapetina  
 Gesneri

(2.) Georg. Matth. Königii in Bibliothecâ Veteri & Novâ pag. 15. *Agapetus Magnæ Constantinop. Ecclesiæ Diaconus, floruit seculo VI, ad Justinianum Imp. jam coronatum paræneticam orationem habuit, quâ eum admonuit quomodo se in Imperio gerere deberet. Græci eam Schedam Regiam appellant.*

Königii

(3) M. Joh. Gottfrid Olearii, in Abaco Patrologico, edito Anno 1673; in 8 Jenæ, pag. 9. *Agapetus magnæ quondam Ecclesiæ Constantinop. Diaconus, temporibus Justiniani Imp. ad quem Parænesin de officio boni Principis scripsit, aureum verè libellum, Schedam Regiam non immeritò olim prædicatam.*

Olearii

(4) Bernh. Damkenii in Paralipomenis ad Agapetum, editioni suæ præmissis: *Postquam Romani Imperii administrationem suscepit JUSTINIANUS, scripsit ad eum paræneses AGAPETUS, quibus docet, τὰ πρὸς θεὸν εὐσεβεῖν, i. e. pium esse erga DEUM ὑπηκόως εὐεργετᾶν, obedientibus benefacere, τὰς ἀδικημάτων διαδικεῖν, injustos punire. Fuisse hanc Epistolam magno in pretio, inde licet conjicere, quod χρῆς βασιλικῆς Schedæ Regiæ nomen meruerit, quæ agat πρὸς τὰ καθήκοντα καλῶς, cui quamdiu Justinianus aurem præbuit, πρὸς, justè, rellèqve Romano orbi præfuit. Et paulò post. In parænesibus suavissimis paronomasis semper utitur & continuam Acrostichin observare voluit; quod scribendi generis non infreqvens*

Damkenii

*fuit Veteribus, sæpe etiam in carminibus. Ita scripsere Lactantius, Socrates & Sibylla de Christo, Liberius & Belisarius de Sedulio, Damascenus in transfigurationem Domini, Cosmas Hierosol. in Theogoniam hymnos 13, Theophanes in annunciat. Sanctiss. Deipara, Manu Episcopus in magno Sabbatho, Amanus in Leontium Episcop. Burdegal. Manuel Palæologus ad Johannem Fil. Basilius Macedo ad Leonem Filium. Alii.*

*Bosi*

(5.) Joh. Andr. Bosii, diff. Ilagog. de Comp. Prud. Civil. apud Th. Crenium Tom. 2. Methodol. de A. 1696. Lugd. Bat. in 4. p. 358. *Agapeti Scheda Regia propriè huc non spectat (scil. ad Politicam) sed ad Ethicam, cum mores & vitam Principis privatam instruat.*

*Conringii*

(6.) Herm. Conringii de Civ. Prud. Cap. XIV. p. m. 342. *Pertinet huc (scil. ad Politica axiomata) Agapeti ad Justinianum libellus, cujus bona partem etiam suo Operi Stobæus inseruit.*

SCHEDIASMA IVTUM & ULTIMUM  
DE  
BASILIO MACEDONE IMPERATORE.  
§. I.

*Vita Basilii  
Imp. contra  
Eta.*

VITA BASILII Imp:

**V**ITAM BASILII è ZONARA, CEDRENO, aliisque Historicis breviter ita contrahimus. BASILIUS Macedo, obscuro ortus genere, venalis inter captivos Constantinopolim adductus, Medici cujusdam commendatione in Michaelis Imperatoris, ad quem nobilis extat Nicolai Magni Rom. Pontificis Epistola, notitiam venit, à quo propter raras virtutes primùm in Protostratorem, deinde in Cubicularium, denique in Imperatorem evectus est. Imperium optimè administravit, propositis passim decretis, quibus injustitia exterminabatur. Inter cætera, pecunias publicas, quas Michael largitionibus profuderat, repetivit, publicatâ lege, ut qui pecunias nullis meritis ab eo accepisset, redderet. Plurima  
bella

bella confecit præsertim contra Saracenos & Manichæos.  
Leonem filium, cui libellum dicavit, in spem Imperii sanctissimè educavit, atqve ita literis excolendum curavit, ut Philosophi cognomentum referret & à Patre inchoata perficeret, scriptis libris βασιλικῶν. Cum imperasset annos XX. in venatione à cervo fauciatus, & eqvo excussus, paulò post interiit, sub annum Domini 886.

§. II.

SCRIPTA BASILII Imp.

*Scripta Basil.  
Imp. cum editionibus*

Scripta Imperatoris BASILII alia non supersunt præter Parænetica ad filium sub hoc tit: ΒΑΣΙΛΕΙΟΥ ΤΟΥ ΡΩΜΑΙΩΝ ΒΑΣΙΛΕΟΣ κεφάλαια ὀξάνητικὰ ἕξ, πρὸς τὰ αὐτῶν υἱὸν ΛΕΟΝΤΑ τὸν Φιλόσοφον, ἔχοντα ἀπεστιχίδα: ΒΑΣΙΛΕΙΟΣ ΕΝ ΧΡΙΣΤῶ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΡΩΜΑΙΩΝ, ΛΕΟΝΤΙ Τῶ ΠΕΠΟΙΘΗΜΕΝῶ ΤΙῶ ΚΑΙ ΣΥΜΒΑΣΙΛΕΙ. i. e. *Basilii Romanorum Imperatoris Exhortationum Capita LXVI. ad LEONEM Filium, Cognomento PHILOSOPHUM, quorū Principes seu Initiales literæ hanc efficiunt sententiam: Basilii in Christo Romanorum Imperator, LEONICARO Filio & Imperij Collegæ.* Editiones horum Capitum Ad monitoriorum duas hæctenus separatas reperiri nobis tantum licuit (1.) FRIDERICI MORELLI, qui Basilium primus græcè edidit cum novâ versione latinâ.

*Editiones separate*

(2.) BERNHARDI DAMKENII, qui Basilium unâ cum AGAPETO græcè & latinè recensuit & notas philologicas eruditissimas adjecit, Basileæ, A MDC XXXIII: in 8. ubi utraqve versio græca originalis & latina exhibent Acrostichin seu Inscriptionem jamjam allegatam in literis initialibus. CONRADUS GESNERUS in *Bibliothecâ* pag. 91. monet, Basilii Imperatoris Paræneses seu Capita necessaria ad Leonem filium suum Venetijs MSSa extare & Romæ in Bibliothecâ Vaticanâ atqve Strozze.

*M. Job*

*Editio con-*  
*juncta* *M. Joh. Gottfr. Olearius in Abaco Patrologico addit, Ex-*  
*tare Capita hæc Exhortatoria Basiliæ quoad Editionem*  
*conjunctam seu junctam in BIBLIOTHECA PATRUM,*  
*edit, 2. Paris. Tom. V. fol. 1493,*

§. III.

*Judicia Basi-*  
*liana*

JUDICIA DE BASILIO IMP.

*Olearii*

**E**X judiciis doctorum de BASILIO MACE-  
DONE sequentia eminentiora licuit collige-  
re. (1.) M. Joh. Gottfr. Olearii, in Abaco Patrolog.  
Jen. in 8. 1673. pag. 69. *Basilius Macedo primus istius*  
*nominis, Orientalis s. Constantinopolitanus Imperator:*  
*Ejus κεφάλαια ὁμιλιτικὰ seu Capita exhortatoria*  
*num. 66. ad Leonem filium & successorem Sapientem cogno-*  
*minatum, scripta, exstant in Tom. V. Biblioth. Patrum*  
*Paris. edit. 2. f. 1493. pia & Principe digna.*

*Lipsii*

(2.) Justi Lipsii, Politicorum Lib. 1. Cap. IX. §. 1. fin.  
*Hæc Grecus Imperator (Basilius) in Libello quem κεφά-*  
*λαια ὁμιλιτικὰ inscripsit, probo, pio & digno quem Prin-*  
*cipes legant,*

*Königii*

(3.) Georg Matth. Königii, in Biblioth. Vet. & Nov. pag.  
90. *Basilius Macedo, Imp. Constantinopol. exaravit LXVI.*  
*Capita exhortationum ad Leonem filium cognomine Phis-*  
*losophum: - Ea Damkius recensuit & notis illustravit.*

*Damkenii*

(4.) BERNHARDI DAMKENII, in Præfat. ad  
Lect. edit. Agapeti & Basiliæ præmiss. qui repetens Lipsii  
judicium, Libellus probus pius & dignus, quem Prin-  
cipes legant adeoque omnes qui Rerump. habenas ten-  
nent, pergith. m. *Argumentum Basiliæ est augustissimum,*  
*oratio & stylus serè Atticus, qualem observas in Jfocrate &*  
*Gregorio Nazianzeno, quos plurimum imitatus est. Nec eum*  
*ideo quis reprehenderit quod eadem sæpius præcepta incul-*  
*cet, qui semper sui similis, docte prudentisque simplicitatis*  
*studiosus, ambitiosum ornatum non admisit, & eo certiq-*  
*res monitorum facere voluit quibus scripsit. Unde ad*  
*Philippenses S. Apostolus: Τὰ αὐτὰ λέγειν ὑμῖν, ἐμοὶ μὲν*  
*ὡς ἄνηθὲν ὑμῖν ἢ ἀσφαλές.*

S. D. G.

SYL



**SYLLABUS MANUSCRIPTORUM,**  
quæ ad usum Reipublicæ literariæ  
à me asservantur.

**I. THESAURUS HOMILETICUS PRACTICUS**  
h. e. Meditationes Homileticæ longè selectissimæ Josuæ  
Arndii, Concionatoris quondam Aulici primarii Güstro-  
viensis, in diebus Festis, tam horis matutinis, quàm  
ante- & pomeridianis usurpandæ, item in diebus Domi-  
nicis, diebus Esurialibus, & Passionalibus: pleræque  
illis constantes inventionibus quæ aut nunquam, aut  
rarò cuiquam in mentem veniunt, ad movendum tamen  
Auditores maximè aptæ factæque.

**II. BIBLIOTHECA SACRA EXEGETICA, h. e.**  
G. Theopholi, Itali, Recensus Commentatorum in  
Sacros libros Biblicos V. & N. T. plus sexcentis aucto-  
ribus recentioribus adauctus atque in commune Chri-  
stianorum commodum magis emendatè divulgatus: cum  
præfatione de variis Bibliorum Versionibus & Editi-  
onibus, ex Nesselio, Kircherò &c. ea, quæ B. Kortholtus  
Tr. pecul. aliique communiter non observarunt,  
suggerente.

**III. BIBLIOTHECA HOMILETICA, sistens Scri-**  
ptores Homileticos (1) Isagogicos, Pontificios, Refor-  
matorios, & Lutheranos. (2) Pragmaticos, Dominicales  
in Pericopas, Evangelicas & Epistolicas, Festales, Passio-  
nales, Pœnitentiales, Nuptiales, Funebres & similes.

**IV BIBLIOTHECA ECCLESIASTICA SEU PATRI-**  
**STICA, continens Scriptores & Commentatores Patrolo-**  
gicos, item Scriptores Conciliorum, & Henr. ORÆI Cata-  
logum præcipuorū Conciliorum & Synodorum à passio-  
Christo ad nostra usq; tempora in orbe Christiano cele-  
bratarum, vulgò minus notum, aliaque prætervulgaria,

**V. BIBLIOTHECA PHILOLOGICA, complectens**  
Philologos Methodologicos 1. Isagogicos, Oratorio-  
pœticos, Grammatico-Criticos, Lexicographos, Anti-  
quarios, Florilegicos, Emblematicos, Parœmiacos, Exe-  
getico-Criticos, & promiscuos: unà cum Compendio

D

Philolo-

Philologico Sacro atq; Profano, historiam & praxin Epistolicam, Oratoriam, Poëticam, profanam, & Antiquitatem, Criticam, Grammaticam atqve Philologiam Sacram breviter exhibente.

VI. BIBLIOTHECA POLITICA, subministrans Scriptores politicos Methodologicos & Hagogicos, Bibliothecarios, Pseudopoliticos, Genuinos Dogmaticos, Historicos, Philologicos, Geographicos, Statisticos, Genealogicos, Discursorios, Eristicos, Problematicos, Symbolicos, Ethicos atqve Patheticos, Juridicos, aliosqve; unà cum AULICO INCULPATO h. e. PRINCIPE ac MINISTRO probo ac pio, XII Capitibus descripte: De Ingenio Principis, Ministri, Tolerantiâ mali Ministri, Prudentiâ Principis erga Ministrum pace & bello, Adulatione Ministri, Ministri apud Principem potentiâ, Lapsibus s. Casibus Ministrorum, Novaturientibus aulicorum consiliis, Vindictâ injuriæ majoribus illatae, Conscientiâ, Fugâ, Cæde Aulicorum.

VII. BIBLIOTHECA HISTORICO-LITERARIA, supeditans Polyhistoricos, Chronologicos, Bibliothecarios, Catalogaphos, Ephemeridicos, Historico-Criticos & pragmaticos, Biographos, Panegyricos, Epigrammaticos, Graphicos, Epistolicos, Dialogisticos, Anonymos, Pseudonymos, Homonymos, Polygraphos, Librarios, Typographicos, Collegiatorios, Academicos, Inventorios, Philosophicos, Philologicos, Mechanicos & Occasionales, aliosqve; unà cum Compendio Historico-Literario, pandente Historiam Imperiorum & Imperatorum, Regum & Regnorum nummariam & Nummariam in genere: Historiam Genealogico-Heraldicam: Symbolicam & Emblematicam: Literariam Virorum, Doctorum: Inventionum philosophicarum: Societatum Literariorum: Academiarum & Bibliothecarum.

VIII. THESAURUS EPISTOLICUS ECCLESIASTICO-LITERARIUS. i. e. Epistolarum MSS. à Viris quondam Doctissimis ex Academiis, aliisve locis Illustris.



Scriptorem; & Latinos, Svetonium & cæteros qui Cæ-  
 sarum vitas condiderunt, quos *Erasmus* edidit con-  
 ctos, item *Salmasius*, *Casaubonus*, *Gruterus*, *Boxhornius*,  
*Obrechtus*, & alii. (4) apud MEDICOS etiam, maxime  
 verò *Galenum*, medicorum illum admirandum *ἰατρικὴν*  
*καὶ νεοφασίαν* (5) apud PHILOLOGOS, (h. e. Scri-  
 ptores Variorum, Physicorum, Grammaticorum,  
 Historicorum & aliorum) Græcos, Athenæum,  
 Plutarchum, Svidam, Stobæum, Ælianum, Laërti-  
 um, Pollucem, Stephanum, & in opere illo Epigram-  
 matum Græcorum amplo & egregio; & Latinos, *Gel-  
 lium* cum *Macrobio*: quos addimus Recentiores qui  
 proverbia exposuerunt, *Zenodorum*, *Apostolium*, *Byzan-  
 tium*, *Diogenianum*, & in his Principem *Erasmus*: alios  
 item, ut *Cælium Rhodiginum* & *Augustinum Steuchum*,  
*Pierium* etiam, quòd suos thesauros non tantum ex edi-  
 tis authoribus, verum plerisque nondum in publico visis,  
 sed adhuc in Bibliothecis latentibus, multa abstrusa,  
 multa non vulgaria congesserit. (6) apud GRAMMA-  
 TICOS & Authorum interpretes, Poëtarum maxime,  
 quales sunt Græci, *Phurnutus*, *Maximus Tyrius*, *He-  
 raclides Ponticus*, *Proclus Lycius*: Ii item qui in He-  
 merum, ut *Eustathius*, commentaria scripserunt, & qui  
 exposuerunt *Pindarum*, *Theocritum*, *Lycophronem*,  
*Apollonium*, *Aristophanem*, *Aratum*, *Hesiodum*, &  
*Dionysii Aphri* orbis descriptionem; Latini, *Priscia-  
 nus*, *Charisius Sopater*, *Nonius Marcellus*, *Festus Pom-  
 pejus*, *Marcus Varro*, & qui de Veteribus, commentariis  
 exposuerunt, *Terentium*, *Virgilium*, *Horatium*, *Dona-  
 tus*, *Servius*, *Acron* & *Porphyrius*. (7) apud THEOLO-  
 GOS deniq; GRÆCOS non pauciora invenies, imprimis  
*Clementem Alexandrinum*, *Philonem*, *Justinum*, *Synefi-  
 um*, *Eusebium*, *Theodoritum* & *Theophilum*. *Basilium* enim  
 (si dempseris unam orationem ad juvenes, quomodo  
 cum fructu legere possint Græcorum libros, novissime  
 reculam cum interpretatione *H. Grotii*, variis lectionibus,  
 & notis, à *JOHANNE POTTERO* Oxonii anno 1694.  
 in 8. unâ cum *Plutarchi Chæronensis* libro, quomodo  
 juvenuti

juventuti audienda sint poemata) Nazianzenus quoque  
& Chrysoſtomus, quamvis in omni ſeculari ſapientia di-  
ligentiſſimè fuerint inſtituti & in Ethnicorum literis  
ſedulò verſati, (quemadmodum tum ipſi de ſe id teſtan-  
tur, tum quoque alii de iisdem ſcripto prodiderunt, ipſo-  
rumque id clamant, quæ extant luculenter, graviter,  
eruditè & eloquenter ſcripta librorum volumina) quam-  
vis Ethnicorum opiniones ſapè proferant, tamen &  
parcius id faciunt (cum etiam argumentum à ſuperio-  
ribus diverſum tractent, minus ex profeſſo manum con-  
ferentes cum gentibus) & ſi quæ in medium afferunt,  
*γυναικῶν* non illa exiſtunt, quemadmodum obſervare li-  
cuit olim *Φιλοſοφῶν* MICHAELI NEANDRO. Ob-  
ſignamus hæc noſtra Schediſmata vel unico illius teſti-  
monio cædo digno de Adagiis Erasmianis, ſupra al-  
legatis, quod in præfat. ad Theognidis ſententias,  
in Opere Aureo ſcholæſtico part. 1. pag. 147. ita habet:  
*Opus illud Adagiorum Erasmianum, nunquam ſatis  
laudatum, cum utriusq; linguæ theſaurus ſit incompa-  
rabilis, ac Commentariorum inſtar ampliffimorum  
in pleroſq; veterum Authorum obſcuros locos, rectè pu-  
ro fecimus, ſi crebrè proverbiorum in dè citatione, (in  
notis ſcil. noſtris ad Authores Græcos) adoleſcentibus  
commendatum efficere ſtuduiſſimus id opus: in quod  
ipſe Author congerere ſtuduſſet, quicquid ex univerſa an-  
tiquitate reconditum ac memorabile, ſententioſum,  
breve ac ſapens, ipſe Polyhiſtor admirabilis obſerva-  
tum eruerat. Non ſolùm enim proverbialia in eo con-  
geſſit, ſed multa alia, quibus proverbialia exponi poſſe  
ipſe mirabilè ingenti acumine præditus intellexit, ut  
reconditos Poëtarum Græcorum & Latinorum verſus,  
quos ex reliquâ turbâ quaſi ſepultos, in ordinis ſui di-  
gnitatem abundè erutos collocavit. Conferuntur præ-  
terea in eo Volumine ex plurimis utriusq; linguæ Au-  
thoribus, varia teſtimonia, quæcunq; ad rem eandem*

Et simile argumentum exponendum pertinere videntur: ita ut amplissimus in eo opere philologia campus sit, eruditio multiplex, omnia pulchra, vetera, sapienter dicta Elegantia, ipsaq; Græcia veneres, joci, sales, gemma, lumina, Attica Musa, deniq; Cornu copia, ipsaq; bonorum ilias ibi simul & semel conveniant, ac leſtoribus philomusis ultrò se sibi offerant. Ea non dixissem pluribus, nisi scirem quibusdam volumina præclarum, ac ex optimis quibusq; non protritit Authoribus ab ipso Authore, humanioris literaturæ primo restauratore, multo tempore, labore, lectione atq; observatione, singulariq; judicio confectum, à quibusdam vix eo loco, aut nondum etiam haberi, quo habuerunt Veteres sua quædam monastica ac barbara Dictionaria, Huguicionem, ex quo, Brewilquidum, Catholicum, Mammotrecum, Vade mecum, Rapiamus totum, & similia, ipsis etiam nominibus portentosa, horrenda & abominanda: in quorum complexu ut perpetuò hæreant, illisq; se omnibus oblectent, aut etiam pluribus aliis, quibus adhuc hodiè tanquam portentosis examinibus plerq; Monachorum bibliotheca scatere videntur, istis nibilo meliores, optamus illis, quibus horti isti Erasmi fragantes, ac similes antiquitatis, puritatis atq; elegantia, veterumq; Sapientum delicia ac gemma lucidissima sordere, nauseamq; creare videntur, precamurq; ut id ipsis sit prosperum & bonum. Adolescentes autem monemus, ut id Adagiorum eruditissimum ac politissimum opus sepe legant, ac familiariter sibi nota, quæ in eo sunt, faciant; nec pœnitebit eos deinde, sat scio, re Etamoni obtemperasse. Hactenus NEANDRI iudicium de Proverbiis Erasmi, de quorum elogiis, editionibus & desiderio, non vulgaria lege, in Thom. Crenii Animadvers. Hist. Philolog. Part. 1. pag. 11. 12.

FINIS.

Ad  
*Præcellentissimum hujus Philologematis*  
*Auctorem,*

**M. CAROLUM ARNDIUM,**

Magni Theologi, Polyhistoris & Philologi

Filium.

**P**Rimitias nunc edis conatum Tuorum, quos in varias historiæ literariæ partes jam per aliquot annos non sine singulari industriâ partim affectos habes partim absolutos. Eorum nonnullos oculis meis ex amico animo objecisti, qui mihi eque impensè placuerunt, quamquam de his ejusmodi, tanquam à professionis meæ studiis paulò remotioribus, solidum perfectumque judicium ferre non possim. Video autem ex omnibus opusculis Tuis, in eo Te literarum & eruditionis genere excellere posthac velle, quod cognitioni bonorum auctorum, veterum imprimis, inservit, quibus vel Græcæ, Latinæque lingvæ, ejusque non proleteriæ, sed tersæ peritiæ, vel eloquentiæ atque antiquitatis artes, cumque iis omnis bonæ & ad morum probitatem ducentis scientiæ complexum imbibere animo & comprehendere possumus. Unde quousque ei DEO providente admovearis Spartæ, quæ in scholis adolescentum ingenia formare & vel ad Ecclesiæ vel ad Reip. usum educere solet, quasi in penum quendam & Gazophylacium recondis, quicquid

QK  
The  
1534

quid ei fini conducere & fructum aliquem honestiffi-  
morum juvenum eruditioni potest adferre. Quâ  
in re & instrumenta possides, tanto apparatusi necessa-  
ria, librorum selectiffimorum copiam, à *πλουμαστ*  
*εἰς* Parente, cujus immortalis est in orbe literario fa-  
ma, Tibirelictam, & ipse jamdiu intra animum Tu-  
um reposuisti ea præsidia, quæ institutum illud feli-  
cissimo successu promovere possunt. Quod etiam, si  
consummaveris, cujus nunc promulgidem hic quan-  
dam nobis præbes, eximiam certè nomini Tuo lau-  
dem & literis ipsis melioribus decus nunquam inter-  
moriturum conciliabis. Nec enim quicquam præcla-  
rius esse potest, quam uno quasi intuitu ante faciem  
habere, quicquid veterum nobis doctrina monumen-  
torum deliciarumque reliquit, idque iis instructum  
ornamentis, ut citra ullum obstaculum in scripta ipsa  
intrare & gustare liceat s'avitatem, in iisdem laten-  
tem. Quare nihil superest, quam ut vires Tibi ad  
hoc opus sufficientes & gratiam Divini Numinis uber-  
rimè Tibi adspirantem & denique Patronorum favo-  
rem enixiffimè appreces, cujus ope ad illud vitæ genus  
adspires, quo & munera Tibi Divinitus concessa in  
publici egregii utilitatem explicare & adeò occasio-  
nem ad majora subinde grassandi adipisci queas.

Vale. Scr. in musæo, Rostochii,  
d. XXI, Febr. M.DCCII.


JO. FECHT, D. P. P. Consist.

Ducal. Adess. & Distrikt. Rostoch.

Superintendens.

mi





AK. 528, 28

B. m. II 40

II c  
1534

SCHEDIASMATA  
BIBLIOTHECÆ  
GRÆCÆ DIFFI-  
CILIORIS

SEU

X 2316493

Notitiæ Historico- Literariæ Veterum Au-  
torum Græcorum, quorum scripta vel mutila, vel dubia, vel  
spuria, vel genuina, sed pauca & rara, ad nos pervenerunt,  
Quatuor Scriptores Græcos rariores, Pha-  
laridem, Antoninum Imp., Agapetum, & Basilium  
Imp., repræsentantia.

In

Gratiam Scholarum, Scholarumque Mode-  
ratorum & aliorum *φιλαρχίας*  
composita,

&

Censente Amplissimâ F. C. rate Philosophicâ  
in Almâ Rostochianâ,  
Luci publicæ exposita.

M. CAROLO ARNDIO,

Josua ARNDII Filio, Gustrov: Mecklenb.  
Rostochii Anno M. DCCII,

Typis JOHANNIS WEPPLINGII, Acad. Typogr.